Statuta

Novissima Trecati

Confirmata die 13. Januarii 1472.

Galeaz. Maria Sfortia Vice-Comes Dux Mediolani & Papiæ, Angleriaque Comes, ac Januæ, et Cremonæ Dominus. Exhibere fecerunt nobis Comune, et homines terræ Tercate supplicationem quamdam, et nonnulla ſtatuta una cum quadam confirmatione alias de eis facta per nunc q. Joannem Andream de Lampugnano tenoris infrascripti, videlicet Illustriss. et excellentiss. Princeps fecerunt quedam Statuta Comune, et homines terræ Tercate infeudatæ nunc q. D. Joanni Andreæ de Lampugnano, quæ ipse D. Joannes Andreas tempore eius vitæ confirmavit per suas litteras, et ipsa publicatæ jussit, quæ Statuta tempore eius vitæ publicata non fuerunt, secundum quod in dictis litteris continebatur, ex quo posset in dubium refricari, utrum dicta ſtatuta obtinere debeant roboris firmitatem, et firma manere debeant, an ne. Quare ad tollendum omnia dubia, et maxime, quia dictus D. Joannes Andreas mortuus est, relictis filiis minoribus, humilime parte dictorum Communis, et hominum terræ Fercate prelibatæ illustr. D. V. supplicat. quatenus dicta Statuta confirmare, comprobare, et convalidare dignetur, ita ut a modo in antea ipsa Statuta suum debitum sortiantur effectum, tamquam Statuta valida, justa, et honesta, et quorum ſtatutorum, et literarum dicti quondam D. Joannis Andreæ dicta Statuta confirmantium tenor sequitur prout infra videlicet

Quod mulier dotata non ſuccedat

In primis pro bono ſtatu, et conſervatione agnationum et familiarum maſculorum hominum Ternate ſtatuerunt, providerunt, et ordinaverunt, quod si aliqua mulier dotata fuerit a patre vel ab alio ejus aſcendente maſculo per lineam paternam inter vivos, aut in ultima voluntate sive per modum prædictum aliquid pro dote, aut loco dotis sibi fuerit aſsignatum, vel relictum, etiam absque aliqua inſtitutione, etiamsi talis dos eſset minus legitima; Quod sit tali dotatione contenta per modum, quod non poſsit ſuccedere ab inteſtato in boniſ patriſ, nec aliorum aſcendentium maſculorum per lineam paternam, etiamsi non ſit dotata de boniſ ejus de cujus hereditate agitur, dummodo ſit dotata ab aliquo eius aſcendente maſculo per lineam paternam et hoc casu quo tempore mortiſ dicti aſcendentiſ, cui debet ſuccedi, talis aſcendens reperiatur habere descendentes natos ex legitimo matrimonio, vel legitimatoſ per subsequenſ matrimonium, et maſculos unum, vel plures, et eo caſu talis hereditas deferatur, et delata eſse intelligatur ipso jure ipsis talibuſ descendentibuſ ſecundum, quod de jure Communi deberent ſuccedere tali morienti, si non eſset dicta talis mulier dotata in rerum natura; et idem intelligatur de dote, et hereditate materna, eo excepto quod fratreſ ex parte patriſ tantum, ſive aliqui eorum deſcendentium non poſsint excludere talem mulierem dotatam ut ſupra a dote, nec hereditate materna, et idem intelligatur, si talis mulier dotaretur per patrem, aut fratres, seu per deſcendentem, aut aſcendenteſ ab eis maſculiſ ut ſupra poſt mortem dicti talis aſcendentiſ, etiam poſt quam talis mulier adiviſset hereditatem taliſ aſcendentiſ, et accepiſset maritum, ſive per tutorem aut Curatorem ipsorum, dummodo in dicta tali dotatione fienda de tali muliere post mortem dicti talis aſcendentiſ ut ſupra, interveniat conſensuſ duorum agnatorum proximiorum ex parte patriſ, et unius cognati proximioriſ ex parte Matriſ, si tot reperiantur, et in defectum ipsorum interveniat conſensuſ tot præsidentium negotiis terræ Ternate, quod parentiſ contingeret non reperiri, et intelligantur non reperiri, si non sint in rerum natura, vel si fuerint abſenteſ a Terra Ternate per triginta milliaria, et debeat dotari infra annum unum a tempore mortiſ talis sic decedentiſ, si taliſ Mulier fuerit annorum viginti, si vero fuerit minoriſ ætatiſ, tunc debeat dotari antequam vigesimum primum annum compleverit.

Item quod mulieres dotatæ, ut ſupra, non admittantur ab inteſtato ad ſucceſsionem fratrum paternorum, nec maſculorum deſcendentium ex eis mortuorum sine liberiſ, si tempore mortiſ talis perſonæ, cui deberet ſuccedi per talem mulierem dotatam, reperiretur talis persona habere aliquem aſcendentem maſculum, aut fratres, aut descendentes ab eis maſculos, et eo casu tota hereditaſ dicti talis morientiſ deferatur dictiſ aſcendentibus, aut fratri, aut fratribuſ, aut eorum deſcendentibuſ maſculiſ, ut ſupra: ſi vero non sint aliqui fratreſ, nec eorum aliqui deſcendentes, seu aſcendenteſ maſculi, sed solum patrui, aut ipsorum patruorum aſcendenteſ maſculi, aut descendenteſ a talibuſ patruiſ maſculi tunc, et eo casu dicti patrui, seu eorum aſcendenteſ, aut ab eis deſcendentes maſculi ſuccedant, et ſuccedere debeant dictæ personæ sic morienti ab intestato, ut supra, in medietate, et aliæ mulieres dotatæ, ut supra, tali morienti in alia medietate, quotquot sint numero, ita quod semper habeatur respectus in tali ſucceſsione, quod ipsi excludantes ipsas mulieres dotatas in dicta medietate ſuccedant, ut supra, tali personæ sic morienti, ſervata graduum prærogativa, ſecundum quod de jure communi cautum est.

De ſucceſsionibus mulierum non dotatarum

Item providerunt, ſtatuerunt, et ordinaverunt, quod mulieres non dotatæ, quæ poſsunt dotari, ut supra, si dotabuntur, ut supra, ſuccedant, ut dictum est in Statutis superioribus, et, si non dotabuntur, succedant pariter cum aliis personis consanguineis, quæ possunt ipsas dotare ſecundum dicta Statuta, et non dotant, secundum quod debent succedere de jure communi: si vero aliquis deceſserit ab intestato relictis mulieribus deſcendentibus ab eo, quæ non fuerint dotatæ, nec possunt dotari secundum formam suprascriptorum Statutorum, tunc si dictæ tales mulieres habuerint patruum, aut patruos, sive eorum aſcendentes, aut deſcendentes ab eis maſculos, unum, aut plures dictæ tales mulieres primo, et ante omnia habere debeant de bonis, et hereditate talis aſcendentis mortui, cui ipse mulieres debent ſuccedere de jure communi ultra dotem, et hereditatem maternam lib. quadraginta Imper. pro dote sua, si

tantum ibi fuerit, et abinde supra illud, quod restaverit, dividatur pro medietate.

Ita quod dictæ mulieres, quotquot fuerint numero una, sive plures, habeant dicti patrui, aut eorum aſcendentes, sive ab ejs deſcendentes maſculi, ſervata graduum prærogativa, secundum quod jure communi dispositum est, et debeant ſuccedere tali personæ sic morienti, si tales mulieres non eſsent in rerum natura, et si non fuerint ibi aliqui Patrui, nec aliqui eorum aſcendentes, seu ab eis deſcendentes maſculi relinquantur dispositioni juris Communis.

Item statuerunt, et ordinaverunt, quod mulieres aſcendentes non perveniant, nec pervenire poſsint ad ſucceſsionem deſcendentium maſculorum, nec feminarum intestatorum, vel intestatarum existentibus parentibus paternis maſculis ipsis descendentibus, usque ad quartum gradum inclusive secundum jus canonicum computandum, sed ipsi parentes patrui maſculi secundum gradum, prærogativas, præferantur ipsi aſcendentibus, et habito respectu ad ipsos aſcendentes mulieres tantum ſuccedant ipsis deſcendentibus, et dictæ mulieres aſcendentes, ad quas alias de jure communi in toto, vel in parte spectat ſuccedere talibus deſcendentibus, ut supra deſcendentibus, habeant de bonis, et hereditate suprascriptorum deſcendentium, et cujuslibet eorum libras quinque Imper. pro centenario valoris dictæ hereditatis usque ad libras quingentas Imperiales, et abinde infra pro rata, et non ultra. Idem per omnia ſervetur in ascendentibus maſculis per lineam Maternam

Declarando etiam, quod inteſtatus dicatur maſculus minor 14. annis, et inteſtata dicitur femina minor 12. annis

Quod Agnati præferantur cognatis

Item ſtatuerunt, et ordinaverunt quod Agnati maſculi præferantur omnibus cognatis proventis ex parte matris, et etiam omnibus agnatis fratris proventis ex parte patris in ſucceſsione agnatorum maſculorum, ſive feminarum ab inteſtato usque ad quartum gradum, ſecundum jus Canonicum computandum, et hereditates dictorum agnatorum maſculorum ſive feminarum dentur dictis agnatis, ſi tales cognati, vel agnatæ feminæ non eſsent in rerum natura, ſalvo eo, quod dictum eſt de mulieribus aſcendentibus, et maſculis aſcendentibus per lineam maternam, prout in ſuprascripto proximo ſtatuto continetur

De Compromiſsis

Item ſtatuerunt, providerunt, et ordinaverunt pro bona pacis, et concordia, quod ſi aliqualis quæſtio, differentia, vel controverſia eſt, vel erit inter aliquos aſcendentes, vel deſcendentes abſque gradus diſtinctione, aut inter aliquos conſanguineos collaterales legittimos, ſive baſtardos, aut affines, affinitate præterita, vel preſenti usque ad quartum gradum incluſive ſecundum jus Canonicum computandum, quod D. Poteſtas terræ Teriate poſsit, teneatur, et debeat ad inſtantiam, et requiſitionem unius partis cogere, et compellere per omnia juris remedia, etiam per detentionem perſonalem, prædictos aſcendentes, et deſcendentes conſanguineos, vel affines ad faciendum, et quod faciant compromiſsum de jure, de facto, et amicabili compoſitione in unum, aut tres amicos ipſarum partium ſubditos juriſdictioni D. Poteſtatis antedicti Tercate, et præfatus D. Poteſtas poſsit, teneatur, et debeat compellere, et cogere per omnia juris remedia, etiam per detentionem perſonalem, ut ſupra, prædictos arbitratores eligendos per dictas partes, ut ſupra, acceptandum compromiſsum in ipſos arbitratores factum, et ſimiliter dictus D. Poteſtas teneatur ipſos arbitratores cogere, et compellere omnibus juris remediis etiam per detentionem perſonalem, ut ſupra, ad ipſarum arbitramenta proferenda infra terminum compromiſsi, et in meritis cauſæ

De Sententiis Arbitratorum

Item ſtatuerunt, providerunt, et ordinaverunt, quod Sententiæ latæ per tales arbitratores electos, ut ſupra, aut etiam voluntarie, aut aliter quovis modo, prout partibus placuerit, et etiam sententiæ arbitramentales debeant executioni demandari, ſicut mandari debent ſententiæ definitivæ Judicum, quæ in rem transierunt judicatam, et hoc non obſtante aliqua nullitate, quæ dici, aut allegari poſsit contra ipſam Sententiam, dummodo talis Sententia ſit lata intra tempus compromiſsi, aut prorogationis juridicæ factæ de tali compromiſso, licet etiam de tali prorogatione nulla ſit facta intimatio parti, niſi pars, quæ ſe gravatam putaverit ex dicta tali Sententia infra dies viginti continuos, poſtquam habuerit notitiam de tali Sententia, petierit ipſam Sententiam reduci debere ad arbitrium boni viri, oblato libello coram D. Poteſtate terræ Teriate, quo libello oblato, et parti perſonaliter, vel ad domum ejus ſolitæ habitationis intimato, procedatur in ipſa cauſa

Secundum quod procedi debet in Causis principalibus secundum ordinem decretorum Ducalium causarum civilium, eo salvo, quod in Sententia proferenda in ipsa causa reductioniſ non habeatur aliquis reſpectuſ ad aliquam nullitatem, nisi ad nullitatem de qua supra, et quatenus ipsa Sententia confirmata fuerit, mandetur executioni, non obstante aliqua nullitate, nec aliqua appellatione interponenda ab ea, et quatenus confirmata non fuerit, possit appellari semel tantum, et in partibuſ, quibus non fuerit confirmata tantum, et non in aliis, et si contigerit non fieri aliquam Sententiam intra tempus quadraginta dierum utilium limitatum secundum formam dicti decreti Ducaliſ, possit iterato pars, quæ se appellaverit reiterare libellum, et iterato procedatur, ut supra ipsa parte tamen solvente, expensas factas in Causa dicti primi Libelli oblati, nisi probaret, quod per ipsam partem non ſtetiſſet, quominuſ fecisset proferri dictam Sententiam, et si contingeret etiam in instantia dicti secundi libelli non fieri aliquam Sententiam, tunc dictæ arbitralis, aut arbitramentalis ſententia mandentur executioni prout lata reperiatur, sicut debet executioni mandari ſententia valida quæ in rem transiverit judicatam, si tamen pars appellans probaverit, quod per ipsam non ſtetit, quominuſ Sententia fuerit lata in dicta instantia, sed per præfatum D. Potestatem, tunc possit agere contra ipsum D. Potestatem quanti sua interesse probaverit, tempore congruo latam fuiſſe Sententiam in meritiſ causæ, et

Et ubi contingat appellari a dicta Sententia in e casibus ubi possunt appellari pro ut supra ordinatum est procedatur in dicta causa appellationiſ secundum dictum decretum ordiniſ causarum Civilium

De maleficiis.

Item statuerunt, providerunt, et ordinaverunt quod si aliquod maleficium commiſſum fuerit in terra, aut jurisdictione Tercate D. Potestas possit, teneatur, et debeat quocumque modo de ipso maleficio notitiam habuerit, sciverit, vel intellexerit per modum accusationis, aut denuntiæ, vel querelæ, aut simpliciſ scientiæ, vel quocumque alio modo super ipso maleficio per viam inquisitioniſ ex officio suo procedere simpliciter, et de plano sine strepitu, et figura judicii, et personas, quæ per se, vel per alium commiserint tale maleficium punire secundum formam statutorum Comuniſ Tercate, et formata dicta inquisitione, teneatur dictam inquisitionem in scriptiſ parti inquisitæ legittime intimatæ cum termino respondendi infra quattuor dies tunc proxime futuros, et se defendendi ab ea, et elapso dicto termino, si dicta persona inquisita non comparuerit dictuſ D. Potestas teneatur dictam talem personam bannire, et ponere in banno pro dicto maleficio, in quo banno, si perseveraverit per dies vigintiquinque continuoſ tunc proxime futuros. Itaque non compareat coram dicto D. Potestate intra dictum terminum per se, aut per Procuratorem, in casu quo Procurator admitti debeat de jure, dicta talis persona habeatur pro convicta, et confeſſa de dicto maleficio, et condamnetur, et puniatur dicta talis persona perinde ac si, et sicut esset probatum de dicto maleficio; si autem dicta persona inquisita comparuerit, procedat super ipsa inquisitione sine figura judicii, ut supra, et dictus D. Potestas teneatur in causa dictæ inquisitionis sententiare, et suam sententiam definitivam condemnatoriam, aut absolutoriam proferre infra tres menses, postquam dicta inquisitio transmissa fuerit dictæ personæ inquisitæ ut supra, sub pœna ipsi D. Potestati lib. decem Imperial. pro qualibet inquisitione non expedita, ut supra pro medietate Cameræ magnif. Domini ipsius terræ Tercate, et pro alia medietate Comuni dictæ Terræ applicand. Et tamen possit infra alium mensem ipsam Sententiam condemnatoriam, aut absolutoriam ferre, et non ultra, et omnis Sententia ferenda ultra dictos quattuor menses sit ipso jure nulla. Possit tamen ipse Potestas, illo casu adveniente, iterato formare, aut repetere dictam inquisitionem secundum, et prout dispon. ex forma juris comunis.

De lucro dotis

Item providerunt, statuerunt, et ordinaverunt, quod si aliqua mulier decesserit vivente marito sine liberis ex ipso marito procreatis, quod medietas dotis ipsius mulieris remaneat ipsi marito sine aliquo onere.

De oneribus

Item Statuerunt, providerunt, et ordinaverunt, quod omnia bona immobilia sita in loco, et territorio Tercate, et etiam omnia bona immobilia sita extra territorium Tercate, quæ sint æstimata de præsenti in Comuni Tercate, et in futurum æstimabuntur, sint, et esse debeant, et intelligantur obligata, et hyppotecata, et obnoxiata pro taleis, fodris, et oneribus cujuscumque maneriei, quæ imponentur in Comuni Tercate, quod ~~tenentos~~ per homines, seu Præsidentes Tercate. Et quod si contingeret aliquam personam extimatam recedere ab ipso loco Tercate, quod tenentes bona ipsarum talium personarum, et ipsarum personarum nominibus, teneantur, et debeant solvere onera dictarum talium personarum usque ad concurrentem quantitatem fructuum, et fictorum, ac reddituum quos, et quæ dictæ tales personæ dicta bona tenentes percipiant pro dictis bonis pro tempore futuro, post quam eis per Agentes nomine dicti Comunis Tercate, aut Camparium ipsius Comunis Tercate denuntiatum fuerit ipsis talibus personis, quod non debeant solvere aliquod pro dictis bonis dictis talibus personis, quæ se recesserint a dicta terra Tercate. Et hoc etiam habeant locum, licet ipsæ tales personæ tenentes talia bona, revera solvissent ficta etiam plurium annorum futurorum pro dictis bonis dictis personis, quæ recessissent de dicta Terra. Et ultra prædicta Agentes nomine dictæ Comunitatis possint etiam disponere de dictis bonis dictarum personarum recedentium pro dictis oneribus, et taliis, tamquam de bonis obligatis et hyppotecatis, et obnoxiatis pro dictis oneribus

Declaratio statuti de nummatis datis in solutum recuper.

Item Statuerunt, et ordinaverunt, quod statutum positum sub rubrica de nummatiſ datis in solutum recuper. in 2. Cap. voluminiſ Statutorum Tercate intelligatur, et intelligi debeat de Bonis immobilibuſ, tantum respectu parentum paternorum, de quibus in dicto Statuto ſit mentio, et respectu debitorum, quo ad bona mobilia, et ſemoventia tempus anni, et uniuſ diei de quibuſ in dicto Statuto ſit mentio, reſtringatur ad dieſ viginti continuos tantum, et dicta exactio, de qua in dicto Statuto, et præſenti ſit mentio, fieri poſsit de dictiſ bonis mobilibus, et immobilibuſ ſingula ſingulis congrue referendo a quibuscumque perſoniſ per quascumque manus ipſæ reſ ambulaverint, sive ad quascumque ipſæ res devenerint

Declaratio ſtatuti de bonis in ſolutum dandis.

Item ordinaverunt, et statuerunt quod ſtatutum positum in dicto libro in ordine in cap. penult: sub rubrica, quod liceat reo dare Creditori in ſolutionem de illis ſuis rebus, quibus voluerit ipse debitor, non habeat locum, nec habere debeat respectu bonorum immobilium dandorum in solutum pro ut in dicto capitulo ſit mentio respectu debitorum, qui fuerint debitoreſ solummodo a libris tribus Imper. infra, et ab inde infra.

De damno dato in buschis

Item volentes providere pro abundantia buscorum habend quorum penuria jam pluribus annis incæpit providerunt, deliberaverunt, et ordinaverunt, ac statuerunt, quod non obstantibus aliquibus aliis Statutis super ipsiſ buschiſ dispon. nulla persona de Tercate, et spectante vel aliunde audeat, vel præsumat aliquod damnum inferre in aliquo buſco ſito, et situato in Territorio Tercate et ſpectante, vel pertinente ipsi Comuni Tercate, seu alicui singulari personæ de dicta terra Tercate, et quod nullum damnum inferatur per aliquam personam in dictis buschiſ, seu in aliquo ipsorum, ut ſupra, et hoc sub pœna librarum quinque Imper. Comuni terræ Tercate applicand. pro qualibet vice, et quolibet contrafaciente, et sub pœna damni duplicati danda, et solvenda dicto Comuni Tercate seu dictiſ singularibuſ personiſ, quibus dictum damnum datum fuerit, et quod de dictis damniſ dandis, ut supra, credatur cuilibet accuſanti cum suo juramento, et procedatur contra dictaſ personaſ damnum danteſ in dictis buschiſ, pro ut supra ſecundum quod credi, et procedi debet per alia Statuta dictæ terræ Tercate contra damna danteſ in possessionibuſ Tercate & et respectu damnorum dandorum in buschiſ ſpectan. dicto Comun. Tercate qualibet persona de terra Tercate poſsit accuſare, et sibi credatur de introitu, et damno dato, perinde ac si credaretur, ſi accuſasset aliquam personam de damno ſibi dato in poſseſsione propria, et ſimiliter procedatur contra talem damnum dantem pro ut ſupra: declaranteſ, quod pro talibus damniſ datiſ, de quibus supra, in toto præſenti Statuto, et pro pœniſ, de quibus supra teneatur, et poſsit exigi pater pro filio exiſtente in ipsiuſ patriſ poteſtate, et in eadem domo cum patre habitante, et etiam contra ipsum patrem credatur juramento damnum passi pro ut crederetur contra damnum inferentem

Literæ illustriss. Feudatarii confirmantes suprascripta Statuta

Egregii, et prudentes Viri, vidi litteras per vos, Præsidentes, una cum nonnullis statutis ad me jam pluribus diebus exactis transmissas, quorum quidem statutorum confirmationem requiritis: et quoniam ex ipsorum Statutorum inspectione, et diligentiori examinatione requisitio ipsa mihi visa est æquitati et honestati consona;

Ideo volens prædictæ Comunitati morem gerere in iis præsertim, quæ ejusdem Comunitatis comunem utilitatem concernunt, vobis Statuta ipsa præsentibus alligata suppleta, ac, ubi visum fuit, emendata, et ex certa scientia, et quibus possum auctoritate, et potestate confirmans, et corroborans remitto. Mandans insuper, et decernens, quod Statuta ipsa in locis publicis, et consuetis illius Terræ meæ Tercate publicari faciatis deinceque ea in volumine aliorum Statutorum prædictæ Terræ inseri, et describi faciatis, ita quod in omni futuro tempore inviolabiliter observentur, et observari faciatis. Dat Legnatelli die 11. junii 1471., Signat Andreas Lampugnano, et sigillat. eius sigillo. A tergo. Egregiis, et prudentibus Viris Potestati, et Præsidentibus negotiis Terræ meæ Tercate. Quæ videri et diligenter examinari fecimus per Spectab. de consilio nostro justitiæ, qui nobis postea retulerunt ipsa Statuta esse æqua, et tendentia ad bonum publicum suprascriptorum Comunis et hominum Terræ prædictæ. Ideo volentes in his, quæ respiciunt fidelium dilectorum nostrorum commodum et utilitatem, favores nostros impendere. Harum serie suprascripta statuta confirmamus, et approbamus, decernimusque, et mandamus statuta ipsa de cetero debere robur et effectum sortiri, et inviolabiliter observari. In quorum testimonium præsentes fieri, et registrari jussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Dat Viglevani die 13 Januarii 1472 Signat. in angulo Io: Antonius, et sigillat. sigillo Ducali consuet. in cera alba.

‡ habeant medietatem talis hereditatis, et aliam medietatem ut supra

^ secundum graduum prærogativam, et secundum quod deberent succedere de jure communi ipsis talibus agnatis ut supra

θ ubi possint appellari a dicta Sententia in casibus n.o da

Concorda la presente copia colli Statuti Stampati ed inseriti nel Sommario della causa vertita già in Torino tra la Sra Marchesa ossia Contessa Donna Claudia Caterina Alardi Biglia ed il Sigr Procuratore Generale di S. M.à Sarda per essersene fatta la debita collazione coi medmi Statuti di cui in d.o Sommario in data delli 10. Aprile 1774 Del che in fede mi sono qui manualmente sottoscritto. Galliate li 30. Marzo 1800.

Giulio Parma Nod.o e Segro Civ.o [illegible]